



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ignatii Loiolae Vita

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Venetias ingenti labore contendit. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11486

extremum ægrotus, epota per imprudentiam veneni laguncula
(cùm duæ starent, altera salubris aquæ, altera sublimati, quod ap-
pellatur, medicamenti) miserabili genere leti defunctus est,

VENETIAS INGENTI LABORE

CONTENDIT.

CAPVT II.

IGnatus ergo cùm in Italiam properaret, & hosce quos diu
socios tam longè lateque dispersos in vnum redigendi atque
ad pristina reuocandi consilia spes nulla se ostenderet; occul-
ta Dei iudicia secum expendens, fufis pro ipsorum salute ad supe-
ros precibus, Valentiam venit, vbi videlicet nauem stare paratam
audierat. ibi dissuadentibus multis ne se tali tempore mari com-
mitteret, quòd præter cæteras difficultates etiam nobilis archi-
pirata Aenobarbus loca opportuna & littorum flexus valida ob-
sideret classe; nullis terroribus de sententia decessit Ignatus. &
nauis prædones quidem effugit, veruntamè fœdissima tempe-
ste coorta, clauo defracto, fufisque armamentis, cùm iam de
salute vectores nauæque omnino desperassent, lacera & quassa-
ta fluctibus Genuensem portum ægerrimè tenuit. Atque hæc ita
maris incommoda non sanè leuius terrestris itineris discrimè
excepit. Cùm enim solus ignarusque regionum Ignatus per A-
pennini tramites Æmiliam peteret, viam ingressus initio spacio-
sam, sed in arctum deinde magis magisque coeuntem; stu-
dio procedendi sensim in eas penetrauit angustias, vnde se-
se expedire humana ope vix posset. Primò igitur sollicitè vestigi-
facere, deinde cùm neque progredi neque iam regredi tutum
esset, in exilitate salebrosa & horrenda crepidine, torrente ra-
pido minaciter superfluente, hæsit aliquantisper stupenti si-
milis, vbi repente sese tot periculis cinctum animaduertit. Sed
ad extremum fidenter implorato diuino auxilio, quod vnum re-
liquum esse videbatur, humi procubuit; & genibus manibusque
reptando, quadrupedis instar, ac prominentia modò saxa modò
à saxis enata virgulta prensando, tandem euasit labore, quos ad
eam diem pertulisset, omnium maximo. Inde per immentem
altitudinis inuias rupes ac solitudines diu errabundus, cùm ad
radices montium denique deuenisset, omnia rursus offendit
partim niuium tæbe partim etiam hybernis imbribus impedita.
Cumque nihilominus vrgeret progrediendi necessitas, via cetera-
rura

rima (& est mollis & cretosus ager, ac semitæ per horum tempo-
 rum incuriam exiguo munimento, nec vllis, vt olim, strata
 lapidibus) cum profundo ac tenaci limo diu multumque lucta-
 tus, ad Bononiæ portas tandem aliquando peruenit. Atque hîc,
 ne quid deesset ad probandam æquitatem ac patientiam vi-
 ri, ad cæteras miseras illud etiam ludibrium accessit; vt in
 ipso vrbis introitu, è ponticulo in fossam, limo cœnoso mar-
 gine lubricante, decideret, emerfusque luto deformatus ac
 madidus, ab iis qui tum aderant, non sine joco & facetiis (vt
 sunt procacia in alienis malis hominum ingenia) rideretur.
 Sed ille nimirum identidem exerceri se à Patre cœlesti pruden-
 ter intelligens, & in gratiarum actione persistens, sole siccatis
 vteumque vestibus, lassitudine ac fame confectus, cùm vrbis
 magnam partem frustra emendicando perambulasset, in col-
 legium Hispanicæ nationis demum exceptus, ibique dies ali-
 quot clementer est habitus. Inde cùm itinere iam facili & cer-
 to Venetias peruenisset, exacta pecunia quam illi per trapezi-
 tas eadem Elizabetha Rosella benignè curauerat; interea dum
 socios è Gallia præstolatur, in varia pietatis opera ex institu-
 to cœpit, incumbere. Nec sanè frustra: siquidem complures
 omnium ordinum homines partim Christianæ doctrinæ præce-
 ptionibus imbuunt, partim ab impura & flagitiosa vita ad castum
 Dei timorem studiumque virtutis eodem Deo adjuuante con-
 uertit. Quibusdam etiam primariis viris, tum patitiis indidem
 tum externis, praua animi affectione ac vicio laborantibus,
 non sine copioso fructu, spiritualium exercitiorum expertæ vir-
 tutis medicinam adhibuit. In iis Didacum Guiam & Step-
 hanum germanos fratres è præcipua nobilitate Cantabriæ, sibi
 quondam Compluti familiariter notos, ac tum Hierosolymis
 redeuntes, earundem commentationum beneficio tantam ad
 rerum diuinarum intelligentiam & humanarum contemptum
 adduxit, vt omnibus diuitiis & honoribus abdicatis, CHRIS-
 TIANI
 consilia omnino sequi decreuerint. Atque hos imitatus est
 postmodum Baccalaureus Hozius, item Hispanus, Theologiæ
 peritus: qui cùm ad easdem commentationes peragendas valde
 propensus esset, verumtamen ex quibusdam iniquorum sermoni-
 bus haberet suspectam Ignatii doctrinam ac dogmata; demum
 se Ignatio exercendum atque colendum ita commisit, vt
 multos in cubiculum, quò secessit, secum afferret libros,
 quibus Ignatii dicta scriptaque ad sanctorum patrum & con-
 ciliarum trutinam expenderet. Sed vbi appositas ab Ignatio
 epulas

epulas degustavit; tantum absfuit, vt in iis veneni deprehendit
 quidquam, vt etiam ardenti quodam rerum cœlestium amore in
 flammatus, mortalibus commodis nuntium sponte remisit, ac
 que vltro ad Ignatii voluntatem & vitæ rationes adhaferit. Et
 Veneta verò nobilitate in primis eo secessu ac meditatione pro-
 fecit Petrus Cõtarenus Zachariæ filius, is qui multo pòt, magis
 cum integritate ac sanctimonix laude, Paphensem Episcopatum
 administravit. Sed & aliorum ex Ignatii consuetudine insigni
 vitæ morumque mutatio est consecuta. Que quoniam nec ab ob-
 scuris hominibus & incolis celeberrimæ ciuitatis fiebant, breui
 vt aliis locis antea, sic tum Venetiis Ignatii pietas in crimen inu-
 diamque vocari cœpta, non ferente diabolo, tantam sibi prædam
 è faucibus eripi: statimque vulgatum ab eiusdem emissariis est,
 Ignatium prauitatis hæreticæ semel iterumque conuictum in
 Hispania elapsum è custodia, in Galliam profugisse; ac proinde
 eius effigiem ab Hispanis Inquisitoribus ignominix causa publi-
 cè concrematam. eundem Parisiis nouas molientem res, infici-
 temque perniciosæ doctrinæ labe scholasticos: vbi delatum suum
 nomen ad sacra tribunalia odoratus fuisset, fuga præuicisse li-
 storum manus & consilia magistratum. Quas criminationes
 Ignatius cum non modò in vulgus, iniquorum opera sparsas, ve-
 rum etiam ad Legatum Apostolicum Hieronymum Verallum,
 qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, delatas inaudisset, non tam de-
 sua, quam de Sociorum existimatione sollicitus, vltro ad Legatum
 adiit, & acriter instiuit, vt eorum criminum quæstio exerceretur.
 quod ita factum, & veritate comperta, honorificè à Legato est
 absolutus, incumbente in eius causæ cognitionem Gaspare Do-
 cto legati affecla; qui ex eo tempore Ignatium vnicè dilexit, ac
 sacratissimæ domui Lauretanæ deinde præpositus, in Societatem
 vniuersam plurima egregiæ voluntatis officia contulit.

VENETIAS AD IGNATIUM SO-
 CII VENIUNT.

CAPVT III.

DVM hæc in Italia gerit Ignatius, interim bello inter
 Christianos ingravescente Reges, cum exercitu formi-
 dabili Cæsar per Insubrum & Allobrogum fines in Gal-
 liam irruerat. Ea fuit sociis Ignatii causa & profectiois mate-
 randæ, & itineris per Thuringiam, seu Lothoringiam atque Ger-
 maniam